tim meliora & molliora reddidit. Nec dum magni honoris erat, illis enim temporibus Comites nonnulli suos sub se Barones habuerunt, meminique me legere in antiquis Francorum Constitutionibus decem fuisse Barones sub Comite, & totidem Capitaneos sub Barone. Nec non Chartas antiquas extare certum est in quibus Comites ab ingressu Normannorum, scribebant, *Omnibus Baronibus meis tam Francis quam Anglis salutem*, &c. Etiam melioris notæ cives *Barones* vocabantur, cives enim Warwicenses in libro Angliæ Censuali Barones, item cives Londinenses, & quinque portuum incolæ eodem nomine gaudebant. Paucis deinceps interjectis annis, ut Romæ olim Senatores è censu eligebantur, sic Barones apud nos habiti fuerunt, qui per integram Baroniam terras suas tenebant, sive XIII feoda militaria & tertiam partem unius feodi militaris *quolibet feodo*, ut habet vetustus liber, *computato ad XX libras quæ faciunt* 400 *Marcas. Ea enim erat valentia unius Baroniæ integræ, & qui terras & reditus ad hanc valentiam habuerunt, ad Parlamenta summoneri solebant.* Dignitasque esse videbatur cum jurisdictione, quod Curiæ Baronum, quas vocant, quodammodo probant. Ipsaque Baronum multitudo persuadet tales fuisse Dominos qui jus in sua ditione dicere possent, cujusmodi apud Germanos *Free-heirs* dicuntur, maxime vero si castra sua habuerant. Tunc enim Baldi celeberrimi illius Iurisconsulti definitioni respondebant, qui eum Baronem definit, quicunque *habuit merum mistumque imperium in aliquo castro concessione Principis.* Omnesque, ut aliqui volunt, qui Baronias tenebant, hunc sibi honorem arrogasse videntur: utque nonnullis jure nostro eruditis placet Baro, & Baronia, Comes & Comitatus, Dux & Ducatus, ut Rex & Regnum quasi conjugata fuerunt. Certè illa ætate centum quinquaginta Baronias in Anglia numeravit Henricus Tertius. Et hinc est quod in Chartis & historiis ejus seculi omnes fere nobiles dicantur *Barones*, plenaque honoris illa appellatio sane tunc erat, & nomine *Baronagii Angliæ* omnes superiores quodammodo regni ordines, scilicet Duces, Marchiones, Comites & Barones continebantur. Sed ad summum honorem pervenit, ex quo Rex Henricus III ex tanta multitudine quæ seditiosa & turbulenta fuit, optimos quosque rescripto ad Comitia Parlamentaria evocaverit. *Ille enim* (ex satis antiquo scriptore loquor) *post magnas perturbationes, & enormes vexationes inter ipsum Regem, Simonem de Monteforti, & alios Barones motas & sopitas, statuit & ordinavit, quod omnes illi Comites, & Barones regni Angliæ quibus ipse Rex dignatus est Brevia summonitionis dirigere, venirent ad Parlamentum suum, & non alii: nisi forte Dominus Rex alia illa Brevia eis dirigere voluisset.* Sed quod ille paulo ante obitum incepit, Edwardus primus, ejusque successores constanter observarunt. Inde illi soli regni Barones censebantur, quos ejusmodi *summonitionum*, ut vocant, rescriptis reges ad Comitia evocaverant; donec Richardus Secundus Ioannem de *Beauchamp* de *Holt* Baronem de *Kiderminster* diplomate dato X Octobr. anno Regni XI creaverit. Iam inde Reges diplomatibus, vel potius honorariis literis, & trabea honoraria imposita hunc honorem sæpe detulerunt. Hodieque hæc per diplomata Baronis creandi ratio, & illa per rescripta *Summonitionis* sunt in usu, in quibus tamen non nomine Baronis, sed *Chevalier* salutantur. Et qui sic creati, vocantur *Barones Parlamenti, Barones regni, & Barones honorarii*, ad differentiam eorum qui adhuc ex veteri illa Baronum formula vulgo *Barones* vocantur, ut illi de *Burford*, de *Walton*, & qui Barones fuerunt Comitibus Palatinis Cestriæ, & Penbrochiæ, qui feudales erant & per *tenuram* Barones.

Court Barones.

Mat. Paris pag. 1262.

Baronagium Angliæ.

Somons to Parlament.

Hi Parlamentarii Barones non nudo tantum nomine, ut illi Galliæ, & Germaniæ gaudent, sed omnes sunt Regni Angliæ Pares, Proceres, Magnates, & Consiliarii nati; evocanturque à Rege his verbis *ad tractandum de arduis regni negotiis, & consilium de iis impendendum.* Suasque habent immunitates & privilegia, scilicet, ut non nisi Parium judicio in criminalibus sistantur, ut ad jusjurandum non adigantur, sed sufficiat, ut *pro honore* protestentur, ad inquirendum *de facto* inter duodecim-viros non vocentur, ut *Brevibus* illis, *Supplicavit*, *Capias*, *Essoinis* non subjiciantur, & alia plurima quæ Iurisconsultis relinquo, quibus hæc & hujusmodi sunt tractanda.

Præter hos duo Archiepiscopi, & omnes Angliæ Episcopi Barones etiam sunt Regni sive Parlamentarii, ut avorum memoria, hi etiam è Cœnobiarchis. *Episcopi Barones.*

Abbates Barones Parlamentarii.

Abbas { Glasconiæ.
S. Augustini Cantuariensis.
S. Petri Westmonasteriensis.
S. Albani.
S. Edmundi de Bury.
S. Petri de Burgo.
S. Ioannis Colecestriæ.
Eveshamiæ.
Winchelcombiæ.
Croulandiæ.
Belli, sive *Battaile.*
Redingiæ.
Abindoniæ. }

Abbas { Walthamiæ. S. Crucis.
Salopiæ.
Cirencestriæ.
S. Petri Glocestriæ.
Bardeneiæ.
S. Benedicti de Hulmo.
Thorneiæ.
Ramseiæ.
Hydæ.
Malmesburiæ.
S. Mariæ Eboracensis.
Selbeiæ. }

Prior { Coventriæ.
Ordinis S. Ioannis Hierosolymis, qui vulgo *Magister Militum Ioannitarum*, & primus Angliæ Baro haberi voluit. }

Ad quos (ut etiamnum ad Episcopos) *quibuscunque Parlamentis*, ex Actis publicis loquor, *ut Pares regni cum cæteris Paribus personaliter interesse, consulere, tractare, ordinare, statuere, definire ratione Baroniarum*